Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 997
Quelle:
Copyright:

Mortis Humanae. Fol. 54. *Explicit Liber. I. Incipiunt Capitula Libri. Secundi. De Animabus Defunctorum. Quomodo Habeantur Ante Ultimam Corporum Resurrectionem.* Quae sunt numero XXXVII. Fol. 58. p. 2. *Expliciunt Capitula. Incipit Liber Secundus. De Animabus Defunctorum. Quo* (mo) *do Se Habeant Ante Ultimam Corporum Resurrectionem.* Fol. 113. p. 2. *Explicit Liber Secundus. Incipiunt Capitula. Libri. III.* Quae sunt numero LXII. Fol. 118. p. 2. *Expliciunt Capitula. Incipit Liber Tertius De Ultima Corporum Resurrectione.* Ad calcem: *Explicit Liber. III. Prognosticorum. Juliani Episcopi.* Haec omnia literis quadratis miniatis, quemadmodum et omnes Inscriptiones Capitulorum. Et hoc quidem de Titulis. Initia porro Librorum sunt: I. *Peccato primi hominis actum esse* &c. II. *Vnus est terrenus paradysus* &c. III. *Judicii tempus uel diem incognitum* &c. Finis totius Operis: *ad regnum. cuius nullus est finis.* Atque utinam a lima tantum commendari posset istud Exemplar, quantum a manu. Excell. *Franciscus de Lorenzana Juliani* hodie in *Toletana* Sede Successor in Praef. ad T. I. *Operum PP. Toletanorum Matriti* 1782. f. editum ita de Opere judicat: *Nihil aliud est quam eruditissimi Theologi dissertatio numeris omnibus absoluta super statu futuro animarum, extremoque iudicio: in qua summatim quidem, sed luculente sciteque omnia, quæ de ea re disputari possunt, separatis quæstionibus, excutiuntur, adhibitis ad singula dubia SS. PP. antiquiorum super illa re sententiis. Quod si in ceteris Theologicis tractatibus similiter perfecisset, nihil erat, quare aliam Theologiæ summam desideraremus: ita omnia sunt nostro iudicio ordinate digesta, curiose quæsita, ac dilucide explicata. Prævenisset certe Petri Lombardi aliorumque similium laborem* &c. Hactenus doctissimus Praesul, cujus *Prognosticon* editionem T. II. eod. anno prolatam volupe fuisset cum nostro *Codice* contendere, si, ut T. I. ad manum fuisset. Itaque recurrendum fuit ad principem *Joh. Cochlaei* editionem *Lips.* 1536. qua etiam *Cod.* CCCXLV. usus sum, quacum instituta collatione deprehendi, quod ante monui, Membranas nostras mendis non carere; esse tamen in iis etiam, quod tollere velles. Id, quod e III. primorum Capitum comparatione patebit:

Codex:	Editio Lips.
C. I. *per* subpletum.	*per peccatum mors.*
II. *Mors in omnibus.*	*Mors in hominibus.*
inmortalitatis aeternitas.	*immortalitas et æternitas.*
inobedientes mors amplecteret.	*inobedientem mors plecteret.*